

vertere, quasi dicat: Revertere ad mea, quia mirabilia sunt; a tuis, quia prava sunt; a te, quia omnis caro fenem; ad me, quia summum bonum ego sum. Non potes me videre, nisi prius intueamur te. Nescio quid macula habes in facie; turpis es, alienam imaginem portas; munda ergo eam, ut revereamur te. »

Porro Theodoretus per *Sulamitem* accipit animam predicatoris evangelici, qua in se pacifica, tentationes tamen et persecutiones nullas patitur: illam ergo hic invitari ait, ut revertatur ad opus predicationis et salutem animarum: Deum enim illi adfore, ut ex omnibus eluctetur omniaque evincat.

Anagoge, S. Ambrosius, orat. *De Obitu Valent.*, hinc accipit de anima sancta, qua a Christo et angelis ex hac vita evocatur in caelum.

Symbolice, tres Anonymi apud Theodoretum per *Sulamitem* accipiunt animam contemplationi deditam, quasi illa hic evocatur a discipulis et sociis, ut ipsa doceat modum frenandi, regendique quatuor animae passionis sive perturbationis, ideoque quater repeti *revertere*.

## CAPUT SEPTIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

**P**rimo, sponsus Christus laudat novellam Ecclesiam *Judeorum recens ad se conversorum*, quasi choros *castrorum*: laudat, inquam, eam primo, ab *incesso regio*; secundo, a *femoribus instar monitium*; tertio, ab *umbilico rotundo*; quarto, a *ventre simili tritico*; quinto, ab *uberibus quasi linaulis*; sexto, a *collo simili turri eburnea*; septimo, ab *oculis quasi piscinis*; octavo, a *naso turrito*; nono, a *capite instar carneli et coma purpurea*. Secundo, *his unditis choros adolescentularis Synagoga congratulans vers. 3 succinat*: Quam pulchra es, etc., *novaque et elogia laudesque assignat, scilicet staturam similem palmæ, ubera botris, odorem oris malogranatis, et guttur vino optimo*. Tertio, vers. 10, *utrique sponsa novella Judeorum respondet, ac se totam sponsi amori resignat, eunisque invitat ad villas et vineas, quarum omnia poma nova et vetera illi offert*.

Caput hoc parallelum et antistrophon est capiti quarto: nam singulorum membrarum *elogia, qua ibi tribuit sponsa Ecclesiae gentium, hic tribuit sponsa Synagoga Judeorum partim conversa, partim converlanda ad Christum, praesertim in fine mundi, ut patet utrumque caput conferenti*.

1. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, filia principis! Juncturae femorum tuorum, sicut monilia, quae fabricata sunt manu artificis. 2. Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut aevrus tritici, vallatus liliis. 3. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreae. 4. Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinae in Hesebon, quae sunt in porta filiae multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum. 5. Caput tuum ut Carmelus: et coma capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus. 6. Quam pulchra es, et quam decora charissima, in deliciis! 7. Statura tua assimilata est palmae, et ubera tua botris. 8. Dixi: Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus: et erunt ubera tua sicut botri vineae: et odor oris tui sicut malorum. 9. Guttur tuum sicut vinum castoreum, dignum dilecto meo ad potandum, labisque et dentibus illius ad ruan-

### TERTIUS SENSUS

#### PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo in fine vite a Christo, angelis et beatis desiderantibus frui ejus dulcissima presentia. Cuiusque dotes gratiae et gloriae intuitu, evocata fuit in caelum, ex quo animam, spiritum et gratiam omnem hauserat. Rursus ipsa quater, id est ardentem et assidue a penitentibus et fidelibus invocatur, ut gratiam impetret, et opem in quacumque necessitate afferat.

Tropologicè, discit hic quam pulchra et speciosa sit anima sancti cujuslibet, ac praesertim B. Virginis, utpote quam tam incensis, et toties iteratis votis optent intueri omnes angeli et beati, ut ex hoc intuitu summam consolationem, gaudium, et jubulum secundariam felicitatem beatorum consistere in contemplanda et fruendo gloriosa humanitate Christi, sicut primaria eorum beatitudinis consistit in visione et fruitione divinitatis.

nandum. 10. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. 11. Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. 12. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fractus parturiunt, si florerunt mala punica: ibi dabo tibi ubera mea. 13. Manu fragora dederunt odorem. In portis nostris omnia poma: nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.

### VOX SPONSI.

De sponsa nova, sive de synagoga.

**V**ERS. 1. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, filia principis! Juncturae femorum tuorum, sicut monilia quae fabricata sunt manu artificis.

Quid videbis (Hebraea et Septuaginta, *quid videbitis*) in Sulamite (male multi legunt, in *Sulamite*) nisi choros castrorum? — Septuaginta pro choros vertunt *κίτρον*, id est *herbam*, sed legendum videtur *χορὸν*, id est *chorum*, ut habent Hebraea, Chaldaea, Latina: quae enim est herba castrorum? Unde Septuaginta Romae correcti habent, *quid videbitis in Sulamite, quae venit sicut chori castrorum*? S. Ambrosius, *De obitu Valent.*, de qua venit sicut chori. Symmachus, *spoliata in vulnerationibus castrorum*. Denique Aquila, *quid quasi spectaculum intuebitur*, inquit, *in pacifica*? Pagninus, *quid videbitis in Sulamite? chororum castrorum*. Chori sunt chorus exsultantium et cantantium, ac chorae tripudiantium praegaudium. Quare minus recte Aben-Ezra et Loysius Legionensis sic vertunt et interpretantur, *quid videbitis in Sulamite*, o adolescentule, quae ita dispositae es, tanquam duo chori castrorum? haec verba pertinent ad finem cap. praecedentis; unde in Hebraeo illi junguntur: Hebraei enim cap. vii inchoant a sententia sequenti: « Quam pulchri sunt gressus tui! » etc.

Porro chori castrorum sunt chorae, tripudia et saltationes militum triumphantium; Sulamitis ergo stipata armatis militibus, eum iis videtur conversasse et salitate bellicam armorum saltationem, qualis fuit olim illa, quam pyrricham vocabant. Hic chorus dicitur in singulari collectio, sine ceteris cantantium et saltantium; et chori in plurali, distributive, quia in eo sunt multi canentium et saltantium ordines.

### PRIMUM SENSUS

#### ADEQUATUS.

De Christo et Ecclesia.

Sponsus hic locum censent S. Gregorius, Casiodorus, Philo, Apolinus, Honorius, Anselmus, Alcinus, Haymo et alii; sunt ergo haec verba sponsi Christi (vel, ut alii, sponsae Ecclesiae: haec enim paulo ante Synagoga dixit: « Revertere, revertere, Sulamitis ») exsultantis de conversione Synagoga, id est Judeorum, ad fidem christianam, ac Christum accerrime propugnabunt

patet ex voce *Sulamitis*, id est hierosolymitana, vel salomonica; qua voce proinde notat Synagogaem Judeorum, ut dixi cap. praeced. vers. ultimi: videtur enim Salomon praetor Pharaonis filiam, quae representabat Ecclesiam gentium, aliam habuisse uxorem Sulamitidem, id est hierosolymitanam, praeter ceteris omnibus dilectam, et filiam Pharaonis valde amore conjunctam, quae representabat Ecclesiam ex Judaeis colligendam, ait Alcazar in *Allus Apocal.*, ad haec Cantici verba. Salomon enim aeque ac Christus, ut patet, *Luc. cap. xix, 41*, magnam habebat curam suae gentis judaeae, ut illa jungeretur Christo et Ecclesiae, itaque salvaretur. Sicut ergo ipse descripsit ortum, progressum et perfectionem Ecclesiae in gentibus, sic hic eundem describit in Judaeis, qui ultimo convertentur, et sic consequenter pergit describere progressum et perfectionem Ecclesiae: hanc enim ecclesiam, spoliata in vulnerationibus castrorum, cum Iudei convertentur, tunc enim ipsa fiet toto orbe unum ovile et unus pastor. Quare sicut S. Joannes describens in Apocalypsi decursum et progressum Ecclesiae, cap. vi, post varios Ecclesiae status symbolice in quatuor equis adumbratis, illico in sexto sigillo transit ad ultima Eliae et Antichristi tempora, illaque deinde operose per 14 capita prosequitur, ac tandem, cap. xxi et cap. xxii, concludit describendo gloriam sanctorum in caelesti Jerusalem: ibi enim erit Ecclesiae consummatio, triumphus et glorificatio: sic quoque prorsus facit hic Salomon, ut ex sequentibus constabit.

Igitur sponsus Christus, sicut cap. vi laudavit pulchritudinem Ecclesiae ex gentibus collectae, sic hic laudat decorem Ecclesiae ex Judaeis colligendae, *q. d.* Quid videbis, o Ecclesia gentium, in Sulamite, id est in Synagoga Judeorum jam conversa ad suum Messiam veramque fidem, nisi choros praegaudium tante conversionis cantantium et tripudiantium; sed choros castrorum, quae scilicet ita exsultent, ut simul fortiter contra antichristianos ceterosque infideles et impios decertent: « castra gippe militantium sunt, ait S. Gregorius; castra ergo in Sulamite videbuntur, quia pro fide, quam modo impugnat (Synagoga) tunc robuste contra infideles preliabitur; » unde Syrus verit, *quid videbitis in Sulamite, quae descendit sicut cumulus, vel sicut gaudium castrorum de perfidia velut de hoste devicto triumphantium*? Arabicus, *tanquam venientes choros (alii, choros) castrorum*. Iudei enim in fine mri agnoscens suum Eliam, et Christum ab eo predicatum, suam perditionem damnantes, zelum Eliae



uti fecit S. Paterus ex judæo factus christianus. Ita de Synagoga, id est de iudeorum ad Christum conversione hæc exponunt Cassiodorus, S. Gregorius, Beda, Anselmus, Rupertus, Honorius, Guilielmus, Cosmas Damianus, Delirio, Alphonsus ab Orozco, Alcazar, lib. III *Allusion. ad Apoc.*; nonnulli tamen, ut Theodoretus, Justus et S. Ambrosius, *De Obitu Valent.*, de Ecclesia in genere hæc dici putant. Audi Rupertum: « Quid aliud videbitis in Synagoga, cum fides in ipsam redierit? numquid sanguinem victimarum, numquid circumcisionis cauterium? nihil omnino nisi choros castrorum, id est lardes seu cantiones præstantium, prelia laudantium et cantantium, quod suavissimum, quod vere est pulcherrimum: laudando chori præstantur, præliando castra laudant. Huc favet nomen *Suamitis*, ut legitur Septuaginta, S. Gregorius, Cassiodorus, Beda, Rupertus et alii passim, illudque interpretantur *capitula despecta*: nullam enim gentem ita vitæ, despectam, et ubique quasi captivam sub arbitrio principibus servire videmus, atque judiciam.

Qui per quadrigas Aminadab accipiunt Turcas, per choros castrorum accipiunt ordines militares turcis oppositos, ut sunt teutonici, hierosolymitani, templarii S. Joannis, S. Jacobi, etc., item Carolum Martellum, Carolum Magnum, S. Ludovicum, Godofredum Bullonium, Baldwinum, Carolum V et alios, qui Saracenos profligarunt; unde notat Generardus in *Chronol.*, eodem fere anno, quo Ottomanus usurpavit imperium Turcarum, deum creasse imperatorem christianorum Jodulphum Halberensem, a quo Austriaci descendunt, quasi eos Ottomanis opposuisse videatur; sicut tradunt Hebraei, eo die quo Nabuchodonosor diruit templum, natum esse Cyrum, qui ejus posteros delevit. Qui vero per quadrigas Aminadab accipiunt antipapas, et eorum schismata, per choros castrorum accipiunt veros pontifices, episcopos, reges & principes, qui eos pontificia sede, quam invaserant, deturbarunt. Qui autem per quadrigas accipiunt imperatores Ecclesiam divexantes, aliosque tyrannos, aut libertinos Ecclesie dogmata, leges et sanctiones profanantes, per choros castrorum accipiunt concilia oecumenica et nationalia, ad hæc academiae apud christianos contra eos institutas, ut sunt Parisiensis, Oxoniensis, Coloniensis, Salmanticensis, Patavina, Lovaniensis, etc.; item ordines religiosos, quos Deus quolibet ævo ad reformandum fidei morumque sanctitatem excitavit; aut excitatos, sed senescentes renovavit, et ad primævum splendorem fervoremque revocavit. Sic Deus carnalium sectæ, quæ orbem occupavit ante sexcentos annos, ut plerique se darent gula et luxurie, opposuit S. Romualdum et camaldulenses, qui sua austeritate et exemplo luxum hunc castigarent; sic Abailardo opposuit S. Bernardum; albigenensibus, SS. Dominicum et Fran-

ciscum; Luthero et Calvinio, S. Ignatium et Societatem Jesu.

## SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima sancta per invictum excelsi animi robur fortiter confligit cum mundo, carne et demone, eosque devincens, ac de his victis triumphans, agit choros et choreas castrorum, id est, jubilat in spirita, Deoque quasi victorie auctori, psallit et gratias agit. « Quia, ut ait Theodoretus, ex castris fiunt chori, nam cum in castris vicerint milites, virtutis pæana canentes revertuntur, et choros ducentes victoria præconium laudibus concelebrant, » uti Israelitæ choros et choreas agebant, prostrato Goliath a Davide: unde et ab illius cæca revertenti occurrerunt « mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes, atque dicentes: Percussit Saul mille, et David decem millia, » I Reg. xviii, 6. Multo major est chorus et exultatio animæ pro virtute contra vitia decertantis, illaque debellantis et superantis. Audi ipsi Theodoretum: « Sponsa chorus existit, divinas laudes in ore gerens: quod videtur beatus ostendit David, *Psalm. cxviii*, 13: *Vox iniquis, exultationis, et saluti in tabernaculis-justorum*; et rursus, vers. 27: *Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornua altaris*. Castra vero declarat beatus Paulus, II *Corinth. x*, 4: *Arma, iniquis, militia nostra non carnalia sunt, sed potentia Dei ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in copiositate redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. » Porro Philo et Justinus Orgelitanus per choros accipiunt diversos sanctorum in Ecclesia ordines, celestibus angelorum ordinibus similes, qui jugiter in certamine constituti, Deo muniente, semper sunt invicti.

Anagogice S. Ambrosius, orat. *De Obitu Valent.*, hæc accipit de anima victrice, victo mundo, in caelis triumphante. Audi eum: « *Quid videbitis in Sulamite, que venit sicut chori castrorum?* » hoc est, in ea, que multum et adversus plurimos in corpore præliata est: etenim pugnavit adversus extraneos hostes, pugnavit adversus lubricæ sæculi mutationes, pugnavit adversus corporis fragilitates, adversus multiplices passiones. » Incausa ergo castra venturæ in choros tripudiantium, et exultantium pro victoria.

Symbolice, noster Alcazar, lib. III *Allusion. ad Apocalypsin*, ad hunc Cantici locum, per choros castrorum accipit religiosos ordines, et cætus præsertim, qui in Ecclesia propaganda, ac contra hæreticos aliosque infideles defendenda strenue laborant: hi enim velut milites et invicti acies Christi cum Ella et Enoch in fine mundi convertentur Judæos, ac certant fortissime contra Antichristum. Hos recte representat Sulamitis, id est

parifica, quia religiosi, pæatis animi motibus, pacem Christi omnibus annuntiant et conciliant, juxta illud Christi, *Matth. v*, 9: « *Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.* » Hæc recte competit quod chorus celestis militie Christo nascenti occidit, *Luc. ii*, 14: « *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bone voluntatis:* » deo enim religiosi quasi stipendarii Christi bellum demonibus et vitis inferunt, ut homines divina pace perfuerant. Adverto, inquit Alcazar, hæc ab Honorio fuisse observatum, totam quidem universalem Ecclesiam unam esse sponsam Christi; verum in hoc Cantico considerat illam, ut quatuor Christi sponsas: quarum prima sit primitiva Synagoga; secunda, Ecclesia gentium; tertia, reliquæ Judæorum; quarta, gentiles adhuc reliqui, et hæretici omnes superstites, pariter Antichristi. Sed equidem in hoc Cantico sponsas tres tantum reperio matrem, filiam, neptem: mater est Ecclesia primogenita, quam pater femina representavit: ægyptia, representavit filiam, et hæc est romana Ecclesia; Ecclesia denique religiosa, quam Sulamitis representat, est neptis. Audi Honorium: « Hujus (qui relicto sæculo religionem moriturus ingreditur) subitam conversionem dum quisque secularis miratur, et a spiritualibus dicitur, *Cantic. vii*, 4: *Quid videbitis in Sulamite, nisi choros castrorum?* in anima prius captiva vitis, sed nunc ad virtutem conversa, non videbis amplius nisi laudes Dei, et pugnam contra insidias diaboli: conversi quippe semper Deum pro sua conversione laudant, juxta contra vitia pugnant. »

Topologice, S. Hieronymus, lib. I *Contra Julianum*, per filios Aminadab, id est populi sponte offerentis, accipit virgines: hi enim sponte Christo dicant virginitatem, hæc enim consilii est; non precepti: verba ejus citabo inferius: virgines enim sunt quasi chori castrorum, assidue contra carnem pugnantium, ideoque ipsi sunt velut quadrigæ Aminadab.

## TERTIUS SENSUS

PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Primo, hæc verba quasi triumphæ epinicion accipiunt angeli B. Virgini in celum ascendenti: tunc enim cum stipabant omnes angelorum ordines, quasi acies et chori castrorum, juxta illud Jacob fratrem Esau fugientis, de angelis sibi in presidium obviantibus, *Genes. xxxii*, 2: « *Castra Dei sunt hæc.* » Secundo, in ipsa, ait Halgrinus, videntur chori castrorum, adherentes videbant ipsi acies sanctorum, qui cum ipsa pro nobis militant contra hostem; unde ipsa vas castrorum appellatur in Ecclesiastico, cap. xliii, vers. 9, ubi sub lumine læsæ de ipsa dicitur: *Vas castrorum in excelsis, in firmamento caeli resplendens gloriæ.* » Tertio, Alanus: « In Virgine, ait, fuerunt

chori canentium, quantum ad consonantiam virtutum; castra vero pugnantium, secundum quod Virgo circumsepta et sanctis disciplinis instructa, vitiorum et demonum repellere insultus. » Hinc quasi typus B. Virgini preliis: « Maria soror Moysi, » qua, transito Mari Rubro, demersaque in eo Pharaone, « assumpsit tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus præcinebat, dicens, *Exodi. xv*, 20: *Cantemus Domino, gloriöse enim magnificatus est, equum et assensorem ejus dejecit in mare.* » Et Judith, cui post occisum Holofernem ejusque castra dispersa, in Bethuliam revertenti Joacim cum omnibus presbyteris acciuit, *Judith. xv*, 40: « *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri: quia fecisti virilitem et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum, alterum nescieris: ideo et manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in eternum.* »

QUAM PULCHRI SUNT GRESSUS TUI IN CALCAMENTIS, FILIA PRINCIPIS! — Hebraice, *filia Nadi* (perperam Philo legit, *Arab*), ita Septuaginta quasi *Nadab* sit nomen proprium patris-sponsæ; unde S. Hieronymus, lib. I *Contra Iovin.*, *Nadab* accipit quasi decuratum *Aminadab*, sicut *Emmanuel* a Galles decuratur in *Nol*: in speciosi, ait, *gressus tui in calcamentis, filii Aminadab*: Arabicus, in calcis *filiorum Nadab*; S. Ambrosius, *De Obitu Valent.*, in calcamentis, *filia Aminadab, hoc est filia principis*. Hoc satis appositum est, ut filia Aminadab sit sponsa Salomonis, qui dicitur esse *Aminadab*, id est *princeps populi*, uti dixi cap. vi, 11: in Scriptura enim sponsus et maritus vocatur pater sponsæ suæ, quia eam ut filiam alit et protegit, juxta illud, *Jerem. iii*, 4: « *Voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* »

Nonnulli et filia proprie accipientes, censent hanc sponsam vere fuisse filiam Salomonis: Salomonis enim filium fuisse Aminadab, cuius hic cum sua sponsa, quasi cum filia, id est nuru sua, epithalamium in toto hoc Cantico celebrat pater utriusque Salomon: Ita ipsi nove. Ceteri *Nadab* accipiunt ut appellativum, veruntamen principis; Aquila, sponte dantis, *munifici*; Symmachus, *ducis*; Syrus, *preparatis*; S. Ambrosius in *Psalm. cxviii*, serm. 17, *voluntatis vel benepacti*; Scholiastes Vaticani, *liberalis*, quia, ut ait S. Ambrosius, Deus voluntarius, et benepactus, ac liberalis Ecclesiam congregavit. Cap. vi, sponsa laudans sponsum orditur a capite, finit in pedibus; hic ex adverso sponsum laudans sponsum orditur a pedibus, finit in capite: ratio dispartitatis est, quod sponsum deorsum e celo in terram descendit, ut sponsam sibi copularet; sponsa vero a terra in celum per sponsum evocata, sursum ascendat. Laus ergo sponsi est in descensu, laus sponsæ in ascensu; laus sponsi in dignatione evocandi sponsam, laus sponsæ in dignatione gratiæ et gloriæ, ad quam a sponso evocatur.



Aliam causam dat Theodoretus: Sponsi, ait, laus incipit ab oculis, id est a contemplatione, et desinit in pedibus, id est in actione, quia ejus actio oritur et dirigitur a contemplatione; sponsae vero laus incipit a pedibus, id est ab actione, desinit vero in capite, id est in contemplatione: quia ipsa ab actione incipit oportet, et ab ea pergit et proficit usque ad contemplationem.

Per gressus tum ipsam incessum, tum pedes quibus gradiamur accipe; unde Vatablus verit, quam pulchri sunt pedes tui calceati, sita principis! q. d. Quam pulchros habes calceos et cothurnos! quam magnifice iis calceata et cothurnata incedis! olim enim femine nobiles calceos et cothurnos ornabant margaritis, gemmis et auro, teste Plinio, lib. IX, cap. xxxv, et Clemente Alexandrino, lib. II *Pedagog.* cap. xi. Sic oculi Holofernis circumcisi capiti sandaliis Judith, cap. IX, vers. 13, et cap. xvi, vers. 11: «Sandalia ejus, inquit, rapuerunt oculos ejus, pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus, amputavit pugione cervicem ejus» et *Isa.* III, 18: «Auferet, inquit, Dominus ornamentum (hebraice, *gloriam*) calceamentorum.» Sic S. Catharinae Lusitanie reginae India pro calceis sive soculis magnum auri pondus pendebat, quod S. Franciscus Xaverius in neophytorum opem ab ea converti postulavit, dicens illam soculis hisee pauperum multo facilius, quam regis securam in orbem; quare id ipsum ab ea libenter impetravit.

Tres Anonymi, R. Salomon, Genebrardus et Sanchez consent hec esse verba adolescentularum celebrantium sponsae pulchritudinem. S. Gregorius censet a sponso Christo laudari hic sponsam Ecclesiam, quod predicatores miscerit ad Synagogam Judaeorum, eosque convertent. Melius alii censent Christum hic laudare Synagogam Judaeorum recens conversam; de ea enim sermo praecessit.

Porro Chaldaeus judaice vertit: «Dixit Salomon in spiritu propheticæ a facie Domini: quam pulchri sunt pedes Israel quando ascendunt, ut appareant coram Domino tribus vicibus in anno cum calceamentis taxeis, et offerunt vota sua, et oblationes voluntarias suas!»

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS,

## De Christo et Ecclesia.

Christus ait Synagogæ Judaeorum, jam in se per predicationem Eliæ aliorumque credenti: Quam pulchri sunt gressus tui, quibus ad me et Ecclesiam accessisti! quam celeri promptitudine ad fidem accessisti, nec tantum ad fidem, sed et fidei predicationem! illico enim, ut fidelis facta es, cepisti esse prædicatrix evangelii, ac instar Pauli per urbes et provincias magna alacritate et fervore discurrendo et prædicando contribules tuos Judæos, aliasque gentes ad Christum tradu-

cere salegisti. Facient hoc Judæi sub finem mundi conversi ab Eliâ; hoc est quod ait Isaias, cap. LXI, vers. 7, et ex eo Paulus, *Rom.* X, 15: «Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium boni!» vide ibi dicta; et *Ephes.* VI, 15: «Calceati pedes in preparatione evangelii pacis:» ita S. Gregorius, Cassiodorus, Theodoretus, Beda, Philo, S. Anselmus, Honorius et alii, ac S. Ambrosius, *serm.* 17, qui et addit symbolice per calceamenta notari plebeios: hi enim æque ac principes convertentur ad Christum, ac sepe iis sunt peritiores.

Alludit ad cap. VI, vers. 11: «Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab,» quasi dicat Synagoga: Ego olim judaizans turbabar quadrigis Aminadab, id est cursu tam felici evangelii, quo gentiles toto orbe quasi Aminadab, id est populus spontaneus et liberatis, ultro se subdebat fidei et Christo: hoc enim videbam et invadebam, putans tantumdem detrahi legi et Moysi, quem sequebar; at nunc illuminata ab Eliâ exteriori, et a Deo interiori, credidi in Christum, meque associavi Ecclesie gentium, ac facta sum et ipsa Nadab, sive Aminadab, id est populus spontaneus et liberatis, ultro me subiciens Christo et christianismo; in eoque gaudeo et exulto, ideoque quadrigæ evangelii associata, eam equa illum duco et protraho alacriter, ut Christi fidem et famam ubique propagem. Aliam causam, cur Ecclesia vocetur *filia Nadab*, dat Theodoretus: Fuit, inquit, Nadab, qui, *Levit.* X, 1, cum ignem alienum in Dei tabernaculum intulisset, vite finem accepit. Invenimus igitur et Domini sponsam Ecclesiam divinum in tabernaculum non ignem legalem, sed quem ab ipso sponso susceperat, intulisse: Ignem enim, inquit, veni mittere in mundum, et quid volo si jam accensus est? *Luce.* XII, 49. Ignem hunc novum ex Novo Testamento in Dei tabernaculum intulit sponsa clamans, et dicens, *Apocalyp.* XXI, 3: Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova. Merito igitur vocat eam *filiam Nadab*, que igne novo sacrificium hominum obtulerit: licet enim diverso consilio ignem immutavit, idem tamen ab utroque factum est. Hec Theodoretus.

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

## De Christo et anima sancta.

Primo, anima, que in via mandatorum Dei, et in semita exemplorum SS. Patrum vestigia sua figit, pulchre incedit, recteque tendit in eam: calcit enim omnes res terrenas, omnesque animæ affectiones et concupiscentias calceat mortificatione: calceus enim, quia ex mortuorum animalium pellibus fit, notat mortificationem, que recta est via ad perfectionem et gloriam: ita S. Gregorius: «*Filia principis*, inquit, sancta Ecclesia (ac quolibet in ea anima) dicitur, quia

predicatione Christi in vitam novam regeneratur, qui per divinitatis potentiam, omni creatura, quam condidit, principatur. Quid autem sunt calceamenta Ecclesie, nisi exempla præcedentium patrum, quibus in via mundi hujus munitur, ut per omnes tribulationes, que exurgunt, confidenter calceata gradiatur? unde alibi prædicatoribus Paulus dicit, *Ephes.* VI, 15: *Calceati pedes in preparationem evangelii pacis.* Calceamenta quippe de mortuis animalibus fiunt, et nos pedes spiritualiter calceamus, quando a patribus sanctis carne mortuis exempla sumimus, ut ad eorum similitudinem mundi hujus tentationes expugnemus.»

Secundo et potius, hæc tribus viris apostolicis et prædicatoribus: unde idem S. Gregorius: «Potest tamen, inquit, intelligi quod Ecclesia calcetur, quando in predicatione sua ad perfrendam insurgentia mala morte Christi munitur. Pulchri ergo sunt sponsæ gressus calceata, quæ filia est principis, quia coram divinis oculis placet officium ejuslibet electi, secundum exempla patrum prædicantis.» Ita quoque S. Ambrosius, in *Psal.* CXVIII, *serm.* 17, vers. 3, quem vide.

Tertio et apposite, ad litteram hanc gnomen intelligas cum tribus Anonymis, Theodoro et S. Ambrosio, de modestia, gravitate, et pietate incessus et actionum exteriorum, que ex interna affectionum compositione procedit: hæc enim in oculis intentionum incurrit, eosque mire recreat et seducit, q. d. Quam bene calceata ingrederis, o fidelis anima! que ut interior affectus omnes habes compositos, ita exteriori modeste, graviter, caste, decore et religiose incedis, loqueris, agis et operaris, ut omnes in tui amore et admirationem rapias. Commendat ergo externam modestiam et pietatem, que animæ sanctas summe debet esse cordi, tum quia index est internæ compositionis, eamque conservat; tum quia alios ad virtutem allicit. Cum enim homines internas virtutes intacti nequeant, externas intuentur, ex cisque ad illas imitandas accendantur: hoc enim est *in regno*, id est ad decorum, quod omnes spectant et desiderant. Vide ibi dicta *Philipp.* IV, 3, ad illa: «Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.» Unde S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, hunc ingressum in calceis accipit de decore castitatis: «Sponsus, inquit, laudatur a sponsa, laudat vicissim virginem sponsam, et dicit ei: *Speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis, filia Aminadab*, quod interpretatur *populi sponte offerentis*; virginitas enim voluntaria est, et ideo gressus Ecclesie in castitatis pulchritudine collaudantur.» Et S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, *serm.* 17: «Bonum, ait, animæ calceamentum est pudicitia: bonus gressus vestigium est castitatis, etc.; utamur ergo corpore tanquam calceamento ad inferiora opera virtutis: ad ministerium, non ad præcipitium: ad obsequium, non ad delectationem: ad obedientiam, non ad dis-

sensionem; et in via sapientiæ vestigium collocemus, ne gressus nostros vis torrentis aliqua concludat.»

Porro additur *in calceamentis*, ut significetur incessus et progressus in modestia, castitate, omni virtute continens, constans et fortis, qui omnes tentationum spinas et adversantium remoras, quasi calceis constantiæ munitus calcet et superet. Sic calceata et in omnibus composita erat B. Asella, de qua S. Hieronymus, *epist.* 13 ad *Marcellam*: «Nihil, ait, illius severitate jucundius, nihil jucunditate severius, nihil suavitate tristius, nihil tristitia suavius. Ita pallor in facie est, ut cum contentiam indicet, non redoleat ostentationem, sermo silens, et silentium loquens; nec citus, nec tardus incessus, idem semper habitus, neglecta mundities, et in culta veste, cultus ipse sine cultu.»

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

## De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo optime fuit calceata, quia summum in omnibus motibus tam animæ quam corpori fuit composita, ac quasi regina celorum angelice ubique processit, adeo ut angelis omnibus fuerit admirationi et stupori: præsertim cum eam tanta gloria et majestate tam corpore, quam anima in celum scandentem viderunt, eamque honoris causa quasi legiones et choros eorum stiparent et comitati sunt. Hinc per *filiam principis* Theodoretus et S. Ambrosius accipiunt filiam Spiritus Sancti, de quo dicitur, *Psal.* L, 14: «Et spiritu principali confirma me;» que enim alia est filia Spiritus Sancti, nisi B. Virgo, cui nuntiavit Gabriel archangelus, *Luce.* I, 35: «Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi;» Honorius vero: Beata Virgo, inquit, fuit *filia principis*, id est Davidis regis, cui promissus erat Christus, quod ex ejus stirpe prodiret, ac consequenter et ejus mater Deipara. Audi S. Ambrosium, *De Institut. Virg.* cap. XIV: «In hoc calceamento (corporis) speciose processit Maria, que sine ulla commixtione corporeæ consuetudinis auctorem salutis virgo generavit; unde egregie Johannes ait cap. VII, vers. 27: *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus*, id est, non sum dignus incarnationis mysterium comprehendere angustis mentis humane, atque inopis vilitate sermonis absolvere;» hinc et Isaias dixit, cap. LXII, vers. 8: «Generationem ejus quis enarrabit?»

Addit Rupertus nudipedes incedere servos, calceatos vero ingenuos et nobiles; unde ait: «Idcirco ancille (Eve) calcaneum serpens momordit, tu autem, o filia principis, bene calceata caput serpentis contrivisti; tu maxime, o princeps et domina singularis dilecta, et sicut jam dixi, *Cantic.* v, 2: *Una columba mea, una genitrix sua* videlicet generationi libere, generationi non



carnis, sed fidei, quæ me virum non de carne viri, sed de Spiritu Dei concepisti, et peperisti patrem vel principem filiorum, non carnis, sed fidei vel reppromissionis. » Pressius Alanus: « Gressus tui, inquit, gloriosa Virgo, sunt nobilitas generis, integritas carnis et mentis, fecunditas prolis. *Calceamenta* sunt affectus in meditationibus, effectus in operationibus, profectus in desideris, excessus in gaudiis. Tu autem es principalis *filia virginitatis*, Dei videlicet, qui est princeps principum et Dominus dominantium, qui te specialiter per gratiam genuit, specialiter informavit: ita tamen Dei filia, quod et mater intacta. Vel per *pedes* et *gressus* intelliguntur mentales affectus, qui omnino purgati et decorati fuerunt. » *Calceatione Christi*, per *calceamenta* figuratur incarnatio divina. » Et Halgrinus: « Cogitationes ejus (Virginis) et opera decora spiritualis devotionis et intentionis, velut pedes in calceamentis hyacinthinis resplendebant (juxta illud): *Calceavi te hyacinthino*, » *Ezech. xvi, 10*: vide ibi dicta.

Denique Guillelmus: « Non, inquit, pernicitate pedum, sed puritate affectuum ibat de virtute in virtutem, videns Deum deorum in Sion, *Psal. lxxxiii, vers. 8*. Amplectebatur innocentem Abel, obedientiam Abrahæ, mansuetudinem Moysis, humilitatem David, patientiam Job, continentiam Danielis. His ergo et hujusmodi patrum exemplis decursum calceata, in altissimis animi gressibus ibat de virtute in virtutem; et in emulando virtutes patrum, ipsos etiam patres, quorum se emulatricem esse gaudebat, præcipua puritate affectuum, et prærogativa actionum transcendebat. *Junctura femorum tuorum sicut monilia* (S. Ambrosius, *torques*) *quæ fabricata sunt manu artificis*. » Sub *juncturis femorum ipsa quoque femora*, sive coxas per metonymiam accipe: quæ instar monillium pulchra sunt, torosa, rotunda et fortia. Rursum *juncturas* intellige tum inferiores, quibus femora inferne cum genibus junguntur; tum potius superiores, quibus eadem cum ossibus et costis ventris superne necluntur.

PRIMUS SENSUS  
ADÆQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Pendent hæc a sententia præcedenti et a choris castrorum (unde omnes hæc tres sententias sub eodem vers. 1 comprehendant Biblia), eorumque dant causam, quasi dicat Christus: Ideo, o Synagoga, jam ad hæc conversâ procedis ut chori castrorum, id est pulchri, recti et validi sunt gressus tui, quia pulchre sunt, rectæ et validæ juncture, sive vertebrae femorum tuorum: ab his enim pendet plebitudo, æque ac rectitudo et robur inaccessi, ut scilicet non claudicat, non cespitet, sed rectis validisque femoribus recte valideque incedat.

Alludit ad tactum angeli, qui tangens Jacob in femore, luxansque ejus juncturam et nervum, fecit eum claudam, *Genes. xxxii, 25 et 31*; qui Jacob claudicatio præsignabat posteros ejus claudicuros in fide et religione, ut nunc Deum nunc idola colerent; nunc Christo adversarentur, nunc eum amplecterentur.

At primo in fine mundi Synagoga, conversa ad Christum, validis juncturis femorum fortiter adhærebit corpori Ecclesie, id est cæteris gentium fidelibus et capiti Christo: quare tunc amplius in fide non claudicabit, sed recta et fortiter in ea incedet ad eam sequendam, prædicandam et propagandam, idque agilitate et flexibilitate in omnes partes, quocumque spiritus Christi impulerit: hoc enim significant junctura, sive vertebrae femorum, quæ agiles et flexiles sunt in omnem partem ad nutum hominis. Hinc secundo symbolice duo juncturae femorum, ait Cosmas Damianus, significant veritatem et charitatem, eorumque nexum et unionem, prout eas adjoined Judæi in fine mundi convertendi. Hinc rursum per femora notantur tertio membra generationis femoribus vicina, ipsaque generatio, *q. d.* Valida habebit femora Synagoga, ideoque validos generabit filios Christo: ita Cassiodorus, Philo, Justus, S. Gregorius, quem audi: « Per duo femora sponse, duo populi Ecclesie, per *juncturas femorum* concordia designatur prædicatorum, quibus populi ununtur, dum ad fidem catholicam circumcisio et præputium per eos erudiuntur. Qui ut monilia existunt, quia dum in sapientia, qua refulgent, sancta opera faciunt, quasi in auro lapides gerunt, de quibus sequitur: *Quæ fabricata sunt manu artificis*. Manu artificis monilia fabricantur, quia opere Christi prædicatores pulchri et utiles efficiuntur. » Huc accedit Chaldaeus: « Et filii eorum, qui egressi sunt de femore eorum, pulchri sunt sicut lapides pretiosi, qui fixi sunt in corona sancta, quam fecit Beseleel artifex Aaron sacerdoti. » Addit S. Anselmus, Judæos et gentes credentes comparari *monilibus*, quia se invicem moment ut constanter adhærerent Christo, ac muniunt contra insidias diaboli.

SECUNDUS SENSUS  
PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Juncturae femorum significant, primo modestiam et modestiam in accessu omnique actione externa, unde pro *junctura* Septuaginta vertunt *ῥυθμὸς*, id est *rhythmus*, numeri, moduli, concinnitates minimi, *q. d.* Quam concinne et numerose suis numeris, pedibus et modulis progreditur carmen, tam concinnum et compositus sit tuus incessus, sermo omnisque actus externus. Audi S. Ambrosium, in *Psal. cxvi, vers. 17, vers. 1*: « Tantis ergo processus Ecclesie (et in anima sancta) significatur, ut ornamentis pretiosissimis

comparatus sit, et torquibus triumphantium: hæc enim ornamenta sunt bellatorum. Sive ergo generatio Christi ex virgine. » *Ecce* Ecclesie propagatio specie quadam tanquam manu artificis torquibus adornatis, quem autem virtutis insignis spiritualibus, cervicis filiorum coronavit. » Secundo, junctura femorum significant castitatem anime sancte: in actu enim generationis pandantur femora; in continentia vero junguntur et stringuntur. Hinc noster Sanchez per *juncturas femorum* accipit fascias vel fibulas femoralium, vel tunicarum, quibus femora teguntur et vestiuntur: casti enim femoralia confibulant, incesti ea dissolvunt. Hinc illud *Ezech. xvi, 23*: « Divisi pedes tuos omni transeunti, et multiplicasti fornicatione tuas. » Castitas ergo femora ornat sicut monile pulcherrimum et pretiosissimum, factum manu summi artificis Dei: hæc amplectuntur religiosi, et amplectentur Judæi in fine mundi, qui effecticus Christum verbo et exemplo prædicant; unde S. Joannes vidit 144 millia virginum, qui in fine mundi sequuntur Agnum in virginitate, *Apocal. cap. xiv, 1*: ita Philo Carpathius, qui et addit castitatem esse opus summi artificis Dei simile illi quod in ventre Virginis fabricavit.

Symbolice, duo femora eorumque junctura significant primo omnium fidelium concordiam, nexum et juncturam in gemina charitate Dei et proximi; sicut ergo femora per vertebrae cæteris membris coherant, sic fidelis quisque cum aliis fidelibus vera charitate conjungatur oportet: ita S. Gregorius, Beda et alii; unde Joannes Carmelita sic explicat, *q. d.* Societas in charitate filiorum spiritualium, qui a tuo velut femore propagantur, et mutuo amoris nexu vincuntur, similis est *monilibus*, seu catenulis, quarum orbiculi mutuo coherunt sunt. Rursum *junctura femorum* significant secundo consonantiam virtutum: ita Philo: « Per consonantias femorum, inquit, vitæ temperantiam et morum sanctitatem, veluti celestem quampiam divine sapientie harmoniam explicat: eum hic enim sancta Scriptura consonantias femorum similes torquibus manu, vel opera artificis elaboratis esse dicit, conspirationem unam et voluntatem bene convenientium populorum ad fidem unam et gloriam opera illius summi artificis complanatam esse demonstrat, qui caelum ac terras fabricavit. » Sic et S. Ambrosius, *De Officiis Valenti Imper.* « Moduli, inquit, femorum tuorum similes torquibus, hoc est, consonans sibi in omnibus factis tuis gratis atque moderatio, magnorum æquavit insignia triumphantium. » Hoc est ergo monile, hic torques virtutum, quem S. Petrus fidelibus commendat dicens, *II Epist. 1, 5*: « Vos autem curam omnem subiferentes, ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, inscientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis,

in amore autem fraternitatis charitatem. » Insuper tertio, tres Anonymi apud Theodoretum per *juncturas duorum femorum* accipiunt compositionem motuum utriusque appetitus, scilicet irascibilis et concupiscibilis, sive iræ et concupiscentie; hi enim compositi ab artifice ratione vel mente, pulchri sunt, sicut monilia ex auro varia arte et flexu fabricata. Quarto denique Honorius censet hic in choris castrorum Ecclesie notari secundam eorum aciem vel ordinem, qui est conjugatorum, ut junctura femorum est amor et concordia conjugum, quæ est opus et donum artificis Dei.

Tropologicæ, idem Honorius: « Femora, inquit, anime sunt timor et amor, per quæ gignit bonum opus, quod est spiritualis proles, quæ erit regni hæres; per timorem quippe declinat a malo, per amorem facit bonum; junctura fides est, qua credit supplicium, quod timet; et credit gaudium, quod amat. Hæc junctura est sicut monilia: quia sicut monile pectus ornat et munit, ita fides animam ornat et munit. Hæc manu artificis est facta, quia fides per Christum est data. »

TERTIUS SENSUS  
PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Duo juncturae femorum B. Virginis sunt materitas et virginitas, in harum enim junctura confibulantur, necluntur et fundantur omnes ejus virtutes, dotes, et prærogative. Rursum, quæ dicta sunt de anima sancta, per omnibus conveniunt B. Virgini, ipsius enim incessus, omnique actio summe erant modesta, concinna, pia, religiosa: ad hæc in ea fuit summa virtutum omnium harmonia et consonantia: insuper angelica castitas et virginitas in ea resplendit, ob quam meruit eligi in matrem Dei: ita Philo, S. Ambrosius, *De Inst. Virg. cap. xv*, ac Rupertus qui sic explicat: *Junctura femorum tuorum sicut monilia*, id est virginitalis tæe integritas perpesque pudicitie custodia, celestibus presidis est communis. Cujus est hoc opus? cujus virtus? nimirum Dei altissimi; et hoc ipsum, ait quidam sapiens, sapientia est, scire quod continentia donum Dei sit. Dico igitur non qualiacumque monilia, sed *quæ fabricata sunt manu artificis*, id est quæ solus Deus facere et dare potest vel potuit. »

Addit Guillelmus juxta femora esse sedem et motus concupiscentie, sed in Virgine hæc fuisse juncta, operta et ornata virginitalis monilia, vnum in his motum carnis sentire: fomes enim in ea fuit extinctus. Audi Alanum: « Femora solent esse generationis signa; *junctura* autem femorum nihil aliud intelligitur, quam concordia duarum fecunditatum, quæ fuerunt in Virgine: una mentis, altera ventris. Et hæc junctura fuit sicut *monile*, id est habuit secum duplicem comitem, virginitalitatem carnis et virginitalitatem men-



tis. Per monile solet notari castitas: monile enim solet apponi pectori ad ornandum, et in castitatis signum; unde dicitur monile, id est monens castitatem. Est ergo sensus: *Junctura fenorum novarum sicut monilia*, id est, sicut tu prædita es duplici fecunditate, ita duplici virginitate. » Succincto, sed punctum Honorius in *S. Mo.*: « Femora tua, inquit, felicia, de quibus processit pretiosa margarita Christus, ineffabile monile qui est ornatus totius creaturæ. Artifex est Deus Pater, manus ejus Filius per quem fecit omnia, per quem etiam incarnatio est disposita. » Denique « *monilia* urgens Haigrinus: « Beata fuit, inquit, non sibi tantum, sed et nobis; non sibi tantum casta vel pulchra, sed nobis quoque castitatis monitoria; ideo comparatur monilia, qua dicuntur monilia quasi castitatem *monentia*: nam ad continentia munditiam ipsa per exemplum nos commonet et invitat. »

VERS. 2. UMBILICUS TUUS CRATER TORNATILIS, NUNQUAM INDIGENS POCULIS. VENTRUS TUUS SICUT ACRIUS TRITICI, VALLATUS LILII.

UMBILICUS TUUS CRATER TORNATILIS, NUNQUAM INDIGENS POCULIS, — id est *potione*, hebraice *צדק מזוג*, id est *mixto*, puta vino aqua mixto et temperato, uti in Italia, Judæa aliisque regionibus calidis vina miscentur et diluuntur aqua; unde Syrus verit, non *deficit in ea mixtura*, id est vinum de more aqua mixtum; Arabicus, *nulla deficit temperatura*; minus recte Figurina verit, *nunquam indigens fecunditate*. Pro *tornatilis* hebraice est *כור* *sachar*, quod Pagninus et alii vertunt *rotunditatis*, id est rotundus; Aben-Ezra et Vatablus, *luna*: umbilicus enim similis est lune semiplene, qua superne concava est instar crateris, et inferne rotunda instar torri. Noster Sanchez per *umbilicum* metonymice accipit ornamentum umbilici, puta gemmam vel bullam e collo usque ad umbilicum pendente, quam Isaias, cap. iii, vers. 18, *lunam* vocat, quod speciem haberet lunæ: nam, ut ait S. Hieronymus: « Habent mulieres in similitudinem lune bullas dependentes. » Melius Laysius et passim alii ipsum umbilicum accipiunt, hic enim est instar crateris tornati et rotundi: jam sub *umbilico* intellige totum ventrem et intestina, horum enim nodus, catena, nexus et vinculum est umbilicus. « Venarum in umbilico nodus ac coitus est, » ait Plinius, lib. xi, cap. xxxvii: sicut enim corpus nervis ac ossibus compingitur, sic venter umbilico quasi catena colligatur, unde ruptura illius lethalis est.

Umbilicus enim est corporis quasi centrum, quod si tollas, evanescent omnes lineæ ab eo ad circumferentiam ductæ, totusque circulus: quare umbilicem plane rotundus, plenus et perfectus signum est bonæ sanitatis et vegete juventutis; umbilicus ergo est ligamentum intestinorum, quod mediam fere planitiem ventris obtinet, ad hoc factum, ut per eum fetus, dum est in utero

matris, nutriatur; hinc per catachresin *umbilicus* vocatur quidquid in aliqua re est medium: sic Reate urbs vocatur *umbilicus Italia*; et Cicero, VI *Verrina*, *Emensium nemus*, ex quo rapta est Proserpina, vocat *umbilicum Sicilia*; et Livius, lib. V *Bell. Maced.*, *Etoliam nuncupat umbilicum Græciæ*. Pari modo Jerusalem est umbilicus Judææ et totius orbis, ut mox dicam. Audi Aristotelem, lib. I *De Histor. animal.*, cap. xiii: « Venter infra pectus est parte priore, ejusque radix umbilicus est; cui radici pars subjecta in latus utrumque, illa dicitur: quæ autem recte subjungitur, sumen est sive abdomen, ejus postremum aquiliculus; sed super umbilicum hypochondrium est a cartilagine quasi *subcartilagium* denominatum. » Idem, lib. II, cap. viii, docet simias homini esse similes excepto umbilico, quo caret, sed ejus loco durum quiddam habere. Jam umbilicus, id est venter sponse « non indiget poculis, » id est potione, sive liquore potabili et humore quasi lacteo, quia eo plenus est instar lune plene, ac instar crateris, qui semper vino repletus est, ut oculos aspicientium recreet, et gustum potantium pascat: nam alii crateres sepe vine caret suntque vacui; ac luna sepe deficit et lunæ orbatur, uti patet in novilunio.

Aliter Sanchez et Delrio, *q. d.* Umbilicus tuus est similis crateri tornatili non egenti poculis, id est liquori potabili, quia nullus sinit aut squalore scaberi, vel sordida aliqua impuritas et immundus est, sed plane castigatus et mundus, quia vino mixto recens foret ablutus et deterens. Porro, ut recte advertit Alcazar, pro *umbilico* hebraice non est *כור* *tabour*, id est *umbilicus*, sed *סער* *sorer*, quæ vox significat intestinum illud, quod infanti recens nato præceditur, et in umbilico illigatur; est autem id intestinum, quod in interna omnia vitalia, stomachum scilicet, jejur et præcordia penetrat. Hæc vero vitalia omnia, quo penetrat illud intestinum, comprehendi in sacra Scriptura voce *sor* aut *sorer*, quam Noster verit *umbilicum*, manifestum est. Atque id quidem liquet vel ex loco *Job*, xl, 14: « Virtus illius in umbilico ventris ejus; » et ex illo, *Proverb.* ii, 8: « Sanitas est umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum. » Umbilicus ergo omnia vitalia complectitur, *q. d.* Vitalia sponse plena sunt humore et succo, quo abunde irrigantur, aluntur, ac vegeta, vivida et succulenta conservantur.

## PRIMUS SENSUS

ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Omnia hæc spectant ad Synagogam, id est Judæorum in fine mundi per Eliam conversationem; Synagoga ergo æque ac Judææ, imo totius orbis habitabilis umbilicus, id est medium et centrum est Jerusalem, juxta illud, *Ezech.* v, 4: « Ista est Jerusalem, in medio gentium posui eam, et in

circuitu ejus terras; » ideoque in illa docere et crucifigi voluit Christus, ac in ea fundavit suam Ecclesiam, ut exinde ipsa quasi ex centro facile quaquaversum, ad ceterarum provinciarum peripheriam sese expanderet, juxta illud *Psal.* lxxvii, 12: « Deus autem rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ. » Rursus urbs Jerusalem, tempore Christi, speciem habebat umbilici et crateris tornatilis, ut est rotundi, ut patet ex ejus effigie, quam exhibet *Arichomius in Descript. Terræ Sanctæ*. Insuper ipsa quasi umbilicus connectebat totam Judæam omnesque Judæos, eorumque ventres, id est concupiscentias, per suos rabbinos, pontifices et principes restringebat et coercerat. Ipsa denique erat quasi *crater tornatilis nunquam indigens poculis*, quia instar crateris abundabat vino sapientie et doctrine, illudque in cæteros omnes disperthebat, juxta illud, *Isai.* ii, 3: « De Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem; » unde Jeremias, *Thren.* ii, 15: « Hæcine, ait, est urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ? »

Idem significat hic Salomon, quod Jerusalem in fine mundi converteretur ad Christum per Eliam, qui in ea prædicabit contra Antichristum, ac in eadem ab eodem occidetur, sed tertio die gloriose omnibus spectantibus resurget, ut patet *Apoc.* xi, 11, quod videntes Hierosolymite, in Christum ab Elia prædicatum credent, ac deinde ceteros Judæos ad Christi fidem traducunt, eosque in christiana pietate nutriunt, fovebunt et promovebunt, uti factum est primitus tempore Solomonis in lege veteri, cum scriba Hierosolymis veram fidem doceret, et in novo tempore Christi, metropoli enim Judææ, puta Jerusalem conversa per Constantinum, conversus est totus orbis; Jerusalem ergo tunc abundabit sanctis sacerdotibus, doctoribus, prædicatoribus et prophetis, qui cum Elia Antichristo resistent, ac Judæos orthodoxam Christi fidem docebunt, uti abundavit iidem tempore matris sugit alimentum a matre per umbilicum, quo coheret et copulatur matri (nam, ut ait Aristoteles, lib. II *De Generat. animal.*, cap. iv: « Incrementum fetus per umbilicum contingit eodem modo, quo plantis per radices »); sic Judæi a matre Ecclesia in fide et pietate christiana nutriantur per Jerusalem et doctores ab ea submissos: ita Honorius, Delrio et alii; juxta per *umbilicum* intelligi prædicatores docent Cassiodorus, Beda, Aponius, Anselmus et S. Ambrosius, serm. 6 in *Psal.* cxviii. Audi S. Gregorium: « Umbilicus sanctorum prædicatorum ordo est, qui bene *crater* esse dicitur; quia dum per eos populus eruditur, vino spiritali ipsorum officio inebriatur; qui bene *tornatilis* nuncupatur, quia juxta mores hominum universos necesse est ut lingua prædicatoris volvatur; qui *poculis non indiget*, quia quod aliis propi-

nat, necesse est ut abundantius cæteris bibat, et plenius, quod dat, continet. »

Huc facit versio Chaldaei: « Et princeps scholæ tuæ, per ejus meritum gubernantur omnia sæcula, sicut fetus nutritur per umbilicum in utero matris tuæ; splendens est in lege sicut circulus hunc, quando venit ad mundandum et contaminandum, et ad justificandum et edemmandum; et non deficiunt verba legis nunquam ab ore ejus, sicut non deficiunt aquæ fluminis, quando egreditur de paradiso. »

## SECUNDUS SENSUS

PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Umbilicus animæ piæ est mens foveas sanctæ inspirationis, cogitationes atque affectiones: hæc enim ventrem, id est appetitum sensitivum, et ventris illa, id est cupiditates, nodo temperantiae et continentie astringit et coercet, instar umbilici: ita tres Anonymi apud Theodoretum. Hæc rursus quasi *crater tornatilis* abundat celesti vino sapientie, prudentie, doctrine, gratiæ, consolationis, lætitiæ, quod tam se quam alios potat et subinde inebriat, adeo ut fontem hujus aquæ celestis ventre mensis confine videatur, juxta illud Christi, *Joan.* vii, 38: « Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; » et illud, cap. iv, vers. 14: « Aqua, quam ego dabo est, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam; » ita S. Ambrosius, *De Obitu Valent.*: « Bonus, ait, umbilicus animæ virtutum omnium capax, sicut crater ab ipso fidei auctore ornatus: sapientia enim in cratere miscuit vinum suum, dicens, *Proverb.* ix, 5: *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* » Hinc Ezechiel, cap. xvi, vers. 4, redarguit Synagogam, id est Judæos Olytanos, dicens: « Et quando nata es in die ortus tui, non est precibus umbilicus tuus, » *q. d.* Adherens pristinis erroribus et idololatriæ matris tuæ: at hic umbilicus præceditur ab anima sancta, et præcideret a Judæis in fine mundi. Vide ibi dicta.

Tropologie, primo, precisio umbilici est precisio cupiditatis, quæ hominem sanat, sanctificat et beat: vere Seneca: « Qui desiderium clausit, merebre cum Jove de felicitate contendit; » hinc Joannes Carmelita sic explicat: Umbilicus et venter, id est intellectus tuus, o sponsa, Dei sapientia, ut factum continens, quia ejus potum propinat sipientibus, crater rotundus est ad potandum aptissimus.

Rursus Philo Carpaphius per *umbilicum* accipit sacerdotes, et per *craterem* calicem Eucharistiæ, « que nunquam, inquit, caret vero corpore et sanguine Jesu Christi, qui populus per fidem charitatemque miscetur, id quod per aquam illam, quam sacerdos vino miscet in calice, apertissime docetur. Idemque sacerdotium recte umbilico non absimile, et tornatile esse dixit, ut aperte



doceret sacerdotes mundos ac puros, et omni habe detersos, cunctisque virtutibus bene foratos esse oportere, nec aliud quiddam in tota vita et in omni re gerenda, quam caelestia sapere et meditari atque docere; nostis enim illud, *Psalm. cxxxix. 9: Sacerdotes tui induuntur iustitiam: et sancti tui exsultent in vita rectitudine.*

Ilino iterum per *umbilicum* alii accipiunt tertio castitatem, quam parit Eucharistia, iuxta illud, *Zachar. ix. 27: « Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? »* ita Rupertus, Guilielmus et alii.

Honorius vero accipit sobrietatem, quae mater est castitatis: « *Umbilicus animae*, inquit, est temperantia, quia sicut umbilicus medius est inter superiora et inferiora membra, ita est temperantia inter virtutes et vitia media: quae est *crater tornatilis*, plena poculis, quia est circumspectioe rotunda et sapientia fecunda; et sicut potus sitim temperat et cor hœtificat, sic temperantia ardorem vitiorum restringit, atque immoderatum fervorem virtutum reprimat. Audi Aponium: « In quo (umbilico) mihi videntur illi laudari, qui non solum a terrenis desideris renascendo abscissi sunt a peccato, sed jam torno consuetudinis vel desiderii boni admirabiliter expoliti, hœticia poculis ultra non indigent, sed aliis indigentibus animæ absolutionem exemplo conversationis ministrant. Nullus enim animam sitientem Deum, post criminum ariditatem ad pinguedinem sanctitatis perducit, nisi qui exemplis laudabilibus poculum subministrat. »

Denique Honorius hæc refertur ad choros caeterorum Synagoga ad Christum converse, de quibus initio capitis dictum est, tertiam eorum aciem hic assignat, scilicet, mellium et deliciorum, sed misericordium: « Quia *umbilicus*, inquit, est molle membrum et media pars hominis, quae habet supra se sex partes, nempe caput, oculos, nasum, os, collum et pectus. Septima pars est umbilicus, infra se quoque sex partes habet, pedes, tibias, crus, coxam, femur, ventrem, et septima hic rursus est umbilicus, significans in Ecclesia eos, qui per septem opera misericordiae consequuntur septenarium requiei, quae dabitur per septem dona Spiritus Sancti. Hi sunt velut *crater tornatilis*, nunquam indigens (id est, semper plenus) poculis, quia sunt charitate tornati, exercitio virtutis planati, poculis doctrinae semper pleni, undosientes iustitiam, possint abunde mœbriari. Hoc ideo dicitur, quia si imperfecti tunc in Synagoga tales erunt, quales perfecti sunt credendi? »

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Primo, S. Ambrosius, De Instit. Virg. cap. xiv:

« Vere, ait, alvus ille Marie crater tornatilis. In quo erat sapientia, quae miscuit in cratere vinum suum, indeficientem cognitionis suae gratiam divinitatis suae plenitudine subministrans. » Secundo, Honorius: *Umbilicus*, inquit, tuus, subandi beatus, in quo pependit Dei Filius (ut enim in clavo clypeus, sic pendet in umbilico infansulus); qui filius est crater tornatilis, nunquam indigens poculis, hoc est, omnibus se sitientibus præbet largiter. Tertio, Rupertus: « Viris, inquit, in lumbis, feminis autem in umbilico luxuria est, testate Domino, qui de diabolo loquitur ad B. Job: *Fortitudo ejus in lumbis ejus, et potestas ejus in umbilico ventris ejus, Job. xi. 14*; igitur *umbilicus tuus crater tornatilis* quod est, nisi ac si diceret: Perfecta est in te virtus castitatis, et liberata es ab omni carnalis appetitu voluptatis? » Quarto, Alanus: « Umbilicus, inquit, est in medio ventris; per umbilicum igitur Virginitas intelligitur vis intelligendi, quia Deum dilexit, scilicet charitas: hæc in Virgine fuit quasi crater, quia ea mediante, Virgo mundo læticia vinum propinavit, de qua dicitur, *Psalm. xxii. 5: Calice meus mœbrians quam præclarus est!* et alibi: *Vinum lætificans cor hominis, Psalm. ciii. 13. Tornatilis dicitur, quia torno facilis operatur; et ipsa Virgo sine omni difficultate, sine omni illecebra, sine omni carnis angustia concepit et peperit. Nunquam indigens poculis: minus dicit et plus significat, id est plenus poculis, nempe mundo propinans vinum dilectionis, vinum salutis, vinum læticiae, poculum vite. » Denique in umbilico illius, ait Guilielmus, salus hominum fuit eo ipso, quo ibi reconciliatioe humane hostia fuit, atque inde nobis suo tempore, id est, quando « Verbum caro factum est, » salus manavit: nempe umbilicus ille virginis Dei Filio carnis substantiam, in qua pro hominibus moreretur, per calorem Spiritus Sancti ministravit, atque eo ipso quasi crater tornatilis vitam mundo propinavit. Et post nonnulla: « Nunquam indigens poculis. » Quotlibet inde hauriant, et quantumlibet hauriant, nequit exhauriri: nam et si inde bibant omnes peccatores terræ, nihilominus abundat et redundat.*

VENTER TUUS SICUT ACERVUS (Symmachus, cumulus) TRITICI, VALLATUS LILII.

Tigurina, circumseptus liliis; S. Ambrosius, De Instit. Virg. cap. xiv, legit, sicut acervus tritici minuti inter lilia; sed videtur error typographi, ac pro minuti legendum muniti, ut legit idem S. Ambrosius, De Vita Valent., sicque habent Hebraea, Septuaginta et Latina. Idem, vel quasi idem dicit cum eo quod dixit de umbilico (sub eo enim ventrem comprehendit, ut dixi) sed per aliam metaphoram et similitudinem: ibi enim ventrem comparavit crateri, qui vino est plenus; hic vero comparat eum acervo tritici, sed vallato liliis, ut significet eum refertum esse quotlibet alimento (hoc enim tam potu, quam cibo, parata tritico

constat), eumque tam esurientem abunde cibare, quam sitientem potare. Acervus tritici fertilitatis et fecunditatis est symbolum, lilia vero castitatis; significat ergo ventrem sponsæ ita esse fecundum ad nutriendum cætera membra, ut tamen sit purus et castus.

Per triticum, vel grana tritici excussa et pura, quae liliis valentur, vel potius segetem tritici hœte in aristis et culmis germinantem, turgentem et fumentem accipe: hæc enim in arvis nobilitum, præsertim hortensibus, ad margines vallatur liliis, aliisque floribus pulchre succrescentibus, tum ad amœnitatem et delicias, tum ad odoris suavitatem et fragrantiam. Hæc sunt lilia agri, quæ nominat Christus, *Matth. vi. 28*: huic acervo assimilatur ventris sponsæ, quia illius adinstar solido et succido cibi ciliquæ tumore, omni ex parte pleno et æquato turgescit, ac ob ejus per vim caloris justam concoctionem suavem exhalat odorem, ut exhalabat venter Alexandri Magni, et similium.

Porro Sanchez et Aleazar ventrem hic non nudum accipiunt, sed talarum vestitum, puta vestem et tunicam ventris: hoc enim honestius et decentius videtur, q. d. Vestis, quæ venter tuus operitur, est ex aurea tela, cum elevato in ea opere tritici cumulis imitante, ac limbo ex liliis purpureo acu pictis. Significat ergo sponsus helle ei quadrare illam talarum vestem, quod speret ipse fecunditatem sive sponsæ (ventre nimirum significata) fore tritici fecunditati similem, sobole deinde copiosa ad gloriam et exaltationem, quam lilia representant, eandem evectum iri: lilia enim symbolum sunt divitiarum ex humili loco ad eximiam dignitatem et gloriam; *Alion* vero fecunditatis: nam, ut ait Plinius, *lib. xviii. cap. x*: « Tritico nihil est fertilius; hoc ei natura tribuit, quoniam ei sit aptum solum, centeni quinquagenarii modii reddantur. » Ilino illud, *Luc. i. 42*: « Benedictus fructus ventris tui. »

Denique Chaldaeus verit: « Et septuaginta sapientes circumdant eum sicut aream rotundam, et cellaria eorum plena sunt decimis sanctificatis, et votivis et spontaneis, quas constituerant eis Esdras sacerdos et Zorobabel, et Josue et Nehemias et Belsan, viri ecclesie magnæ, qui comparantur rosis, ut ait eis virtus, ut laborem in lege die ac nocte. »

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

Jerusalem convertenda ad Christum per Eliam in fine mundi similis erit acervo tritici, quia plena erit sacerdotibus et prædicatoribus, qui Verbo Dei et Eucharistia quasi tritico mystico fideles pascant, non ad luxuriam, sed ad castitatem; ideoque vallatur liliis, quia puritatis candorem,

æque ac suavitas odorem exspirat: hoc enim est « frumentum electorum, et vinum germinans virgines, » *Zachar. ix. 17*. Synagoga enim post mortem apostolorum et primorum fidelium quasi sterilis remanserat, cum ceteri Judei nolent ad Christum converti: sed reliquus in fine mundi per Eliam conversis Synagoga fiet quasi acervus tritici, quia multa grana, id est multos fideles in horreo Domini reponendos producet, quorum multitudo, ait ex S. Ambrosio Delrio, est cumulus in unum vinculo charitatis coacervatus, cylindro justitie æquatus et pudicizie, cæterarumque virtutum exemplis vallatus. Tali acervo plenus Synagoga tunc venter erit, ut et ipsa queat gloriari factam se matrem filiorum lætulentem. Certe sicut in catholica Ecclesia nunquam deficit vitalis ille potus, sic nec triticum ad dupliciter omnes cibandos.

Porro S. Gregorius per *umbilicum* prædicatorum, per *ventrem* populum intelligit: « Per ventrem, inquit, populi latitudo designatur, qui bene sicut acervus tritici liliis vallatur, quia dum operibus sanctis intendens, in caeleste horreum preparatur, exemplis sanctorum, ut perseveret, undique munitur. » Populus a Deo electus comparatur tritico, *Matth. xiii. 30*: « Triticum, inquit, (id est electos) congregate in horreum meum » caeleste. Synagoga ergo, continens Judæos sanctos et electos, est quasi acervus tritici. Audi Philonem Carpathium: Acervus tritici est multitudo, sive electus Ecclesie; quia sicut ex nullis granis unus cumulus coacervatur, ita et ex nullis populis una omnium fidelium Ecclesia copulatur; unus et idem fide Christi populus, communionem unitus baptismatis, atque Sacramenti corporis et sanguinis Jesu Christi cogitur, etc. Sed hic primum liliis sepiri et constipari debet, id est in odoratissimis atque frugiferis virtutum actionibus castissimisque colloquiis exerceri, mox ad caelestem illam patriam fructus aliquid incorrupti deferre secum, ut unicuique detur de fructibus manuum suarum, sinumque referunt virtutibus gerat.

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Venter mysticus animæ sanctæ est mens in se continens triticum, id est sanctam doctrinam, qua se et alios enutrit in omni virtute; atque vallatur liliis puritatis et castitatis suavae fragrantibus: ita Theodoretus et tres Anonymi. Audi Honorium: « Venter animæ est memoria, in qua recondit cibos sacrae Scripture, quæ similis est acervo tritici: quia sicut in acervo grana cumulantur, ita et in memoria multe sententiae, et imaginationes coacervantur, quæ liliis vallantur, quæ in mundis cogitationibus stipantur. » Denique venter, id est mens sanctorum est acervus tritici,



id est officina et congeries iustitiarum, beneficentiarum, omnique virtutum.

Symbolice, Honorius censet hic in choris castrorum Synagoga per ventrem notari quartam acciem conjugatorum, qui ventre ad prolium generationem utuntur, sed tritico elemosynarum abundant : hi vallantur liliis castitatis ; hi ergo sunt conjugati fecundi, aque ac sancti, de quibus Psaltes, *Psal. CXXVII, 3* : « Uxor tua sicut vallis abundans in lateribus domus tue. Filii tui sicut novelle olivarum in circuta mensa tue. » Judei enim fecundi sunt, et fecundi erunt in fine mundi, ut filios generent Christo inserendos caelo ; hinc tanta in tot regnis per totum orbem sparsa videmus Judaeorum examina : quocirca Gislebertus apposite censet hanc sensum ad litteram esse primum et primarium.

#### TERTIUS SENSUS PRINCIPALIS.

De Christo et B. Virgine.

Venter B. Virginis fuit *acervus tritici*, id est Christi, qui cibus et panis est christianorum vallatus liliis, id est stipatus virginibus, ait Honorius ; hinc primo, de ea dicitur, *Luc. 1, 42* : « Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui ; » et cap. xi, vers. 27 : « Beatus venter, qui te portavit. » Hic ergo, ait Guilielmus, est sicut *acervus tritici*, quia prole distans et tumidus ; sed tamen *vallatus liliis*, quia perpetua virginitatis inamitate, sed veritatis plenitudine tumidus. » Audi S. Ambrosium, *De Instit. Virg.* cap. xiv : « In virginis utero simul acervus tritici, et lili floribus gratia germinabat, quoniam et granum tritici generabat et liliam : granum tritici secundum quod scriptum est, *Joan. XII, 24* : Amen, amen, dico vobis, nisi granum tritici cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet ; sed quia de uno grano tritici acervus est factus, completum est illud propheticum, *Psal. LXIV, 14* : *Et convalescunt abundabant frumento* : quia granum illud mortuum plurimum fructum attulit. Hoc itaque granum omnes homines perpetua coelestium manerum esca saturavit. Consummatum est illud propheticum oris eloquium, dicente eodem David, *Psal. LXXX, 17* : *Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos*. In hoc grano esse etiam *lilium* divina testantur oracula, quia scriptum est, *Cantic. II, 4* : *Ego flos sum campi et lilium convallium, sicut lilium in medio spinarum*. Christus erat lilium in medio spinarum, quando erat in medio Judaeorum. »

Secundo, Rupertus : « Venter tuus, inquit, sicut acervus tritici, quod videlicet triticum dicitur congregasti meditando in Scripturis, sicut dicitur est quodam loco, *Luc. II, 19* : *Maria autem conservabat omnia verba haec, confrens in corde suo*. Huiusmodi acervus bene est *vallatus liliis*, quia profecto pulchritudo castitatis sicut claritudinem

sensus ad intelligendum Scripturas efficit, ita et auctoritatem parat omni homini ut dignus sit foris eloqui ea quae intus reposit vel contenti verba Dei quasi triticum Domini. » Audi Christum apparentem S. Brigittae, eique singula B. Virginis membra mystice describentem, lib. V *Revel. ejus*, in fine Interrogationis decimae : « Venter tuus, o beata virgo, fuit laundissimus sicut ebur, et sicut locus ex virtuosissimis lapidibus splendidissimus : quia constantia conscientiae tuae nunquam tepuit, sed nec in tribulationibus potuit viciari. Huius itaque ventris, id est fidei tuae parietes fuerunt quasi aurum fulgentissimum, in quibus notatur fortitudo virtutum tuarum, et prudentia tua, et iustitia, et temperantia cum perfecta perseverantia, quia ipse omnes virtutes tuae perfectae fuerunt divina charitate. »

#### VERS. 3. DUO UBERA TUA, SICUT DUO HINNULI GEMELLI CAPRAE.

DUO UBERA TUA, SICUT DUO HINNULI GEMELLI CAPRAE. — Repetitur in Synagoga Judaeorum, quod dictum est de Ecclesia gentium, cap. IV, vers. 5, ubi haec explicuit. Chaldeus vertit : « Salvatoris tui, qui te redempturi sunt, similes sunt Moysi et Aaron filiis Jochabed, qui comparantur duobus hinnulis gemellis caprae. » Honorius per ubera censet in choris castrorum Synagoga quintam ejusdem acciem, scilicet doctorum, denotari : idem tropologicè : « Duo ubera anime inquit, sunt sapientia et scientia quibus lactat insipientes et inscios, quae sunt sicut *hinnuli caprae*, qui semper alta petant, dum ad alta virtutum scandere nituntur ; duo *gemelli* sunt, dum in gemina dilectione coelestia petunt. *Hinnulus caprae* dicitur, ad distinctionem *hinnuli cervorum*, qui velociter currit, sed non ut ista alta petit. » Philo per duo ubera accipit religiosos et laicos, et analogice duplicem beatitudinem sanctorum in caelis, scilicet gloriam anime et corporis.

#### VERS. 4. COLLUM TUUM SICUT TURRIS EBURNEA. OCULI TUI SICUT PISCINE IN HESBON, QUAE SUNT IN PORTA FILLE MULTITUDINIS. NASUS TUUS SICUT TURRIS LIBANI, QUAE RESPICIT CONTRA DANASUM.

COLLUM TUUM SICUT TURRIS EBURNEA. — Fuit a principibus subinde ad magnificentiam parva turres eburnae affabre elaboratae, sicut Salomon thronum suum augustum, ut dicitur II *Paral. IX, 17*, fecit ex ebore ; imo Achab domum inaequam ex ebore aedificavit, ut habetur III *Reg. XXII, 39* : adeo enim magni vastitatis sunt dentes elephantis, ut nonnulli duodecim palmorum, imo decem pedum mensuram excedant : quocirca ex eis postes in domibus et stabulis fiunt, ait Plinius, qui proinde illos cornua potius quam dentes nuncupat. Atque haec longevitatis elephantis est causa, quod scilicet vastis validisque dentibus cibum plane commolat et in farinam rediget, itaque enim optime digerat, digestumque in sub-

stantiam suam convertat ; quodque diu, scilicet biennio, matris utero gestetur, ut fortis validusque nascatur. Vide Aldrovandum in *Elephante*, Part. XLII, III et seq.

Repetit in Synagoga Judaeorum quod dixit in Ecclesia gentium, cap. XLV (vide ibi dicta) : utriusque enim dat collum turritum, sed hic addit quod sit eburneum. *Collum turritum* significat invictum Synagoga robar, quo se instar turris generose erigit contra omnes tentationes et persecutiones Antichristi : item pontifices, doctores et presules, qui eidem heresice resistant. Hinc facit versio Chaldaei : « Index quoque tuus, qui iudicat iudicium tuum, fortis est super populum, ut alliget eos, et ut trahat eos qui condemnantur in iudicio ad carcerem ; sicut Salomon rex qui fecit turrim eburneam, et subiecit populum domus Israel, et convertit eos ad Dominatorem saeculi. »

Ebur notat elephantinam (elephas enim ferarum et animalium castissimus est) castitatem, puritatem et munditiam, qua pollebunt Judaei in fine mundi, *Apocal. XIV, 1* et sequentibus, praesertim doctores et presules : ebur enim candidum est, politum, nitidum, teres, rectum, aequabile, firmum. Talis pariter erit virtus et fortitudo Judaeorum. Porro quam castus sit elephas, colligitur ex indicis quae dat Aristoteles, lib. V *De Hist. animal.* cap. XIV, ubi docet elephanti continuo per triennium manere caelibem, ac post triennium fuisse jam femina partu, illi obiter prolix duntaxat generandae causa misceri : « Elephas, inquit, coitum, triennio interposito, repetit : quam gravidam reddit, eandem praeterea tangere nunquam patitur. Uterum biennio gerit ; parit singulos, fetum magnitudinis bimestris aut trimestris vituli edit. » Causam dat lib. IX, cap. XLIX : « Elephas, ait, omnium ferarum mitissimus et placidissimuset, quippe qui per multa officia et erudiatur et intelligat ; quandoque etiam regem adorare condiscit ; valet sensu, et reliqua sagacitate ingenii excellit ; quam impleverit coitum, cum rursus non tanget. Vivere elephantes mares alii ducentos, alii centum et viginti annos aiunt ; feminam etiam fere totidem, sed florere aetate circa sexagesimum narrant. »

Causa ergo cur elephas sit castus est ejus mansuetudo, sagacitas et amor longeva vitae, castitas enim vitam prolongat, quam libido abbreviat. Idem, lib. II, cap. 1 : « Elephas, inquit, testes non foris conspicuos, sed intus circa renes conditos habet, quocirca initum celerius agit ; » idem, lib. V, cap. II : « Elephantis, ait, coituri solitudines petunt, sed praecipue secus flumina ; » adeo pudet eos actus veneri, ut eum flumine abluant. Audi Plinium, lib. VIII, cap. V : « Elephantis, inquit, pudore nunquam nisi in abdito coeunt, mas quinqueannis, femina decennis ; initum autem biennio quinis (ut ferunt) cujusque aetate, nec amplius ; sexto perfunduntur

anne, non ante reduce ad agmen ; nec adulteria novere, nullaque propter feminas inter se praelia, caeteris animalibus pernicilia. » Atque ex ista castitate tantum est robur elephanti, et etiam turres et in his militum acies dorso vocat. Addit ex Eliano Aldrovandus in *Elephante*, part. XLIV, II, elephanti adeo homines adulteros et adulteras odisse, ut de eis penam sumat, eosque occidat, cuius vindicta plura ibidem recenset exempla. Adjungit Angelomus, III *Reg. x* : « Elephas, ait, temperanter miscetur feminis suis, et secunda non utitur. » Et Beda in illud *Psal. XLV, vers. 9* : *A domibus eburneis* : Domus eburnea, inquit, est eor innocensissimum et castissimum. In ebore est candor, et per candorem designatur innocentia. Elephas enim, cuius est ebur, castissimus est, quia non cognoscit nisi unam uxorem, et illam temperatissime atque ea mortua nunquam aliam cognoscit.

Ac li S. Gregorius : « *Collum sponsae sicut turris eburnea* dicitur, quia predicatorum Ecclesiae et alti per contemplationem, et fortes per sanctorum operum exercitationem, et pretiosi per divinam sapientiam habentur. » Similia habent Casiodorus, Bida, Anselmus et alii. Et Angelomus in lib. III *Reg. cap. X*, ad illa : *Deferebantur Salomoni dentes elephatorum* : « *Collum tuum sicut turris eburnea*, hoc est, inquit, doctores tui fortes sunt propter nitorem sapientiae. » Philo Carpianus vero per *collum* accipit sacerdotem : « Ut enim collum, inquit, capiti proximam est atque conjunctum, sic viri ministri Dei sacratissimo corpori, ac sanguini Jesu Christi sanctissime ac proxime adherent ; sicutque ipsius collum maxime eburneum, quoties pura conscientia, et sincera anime charitate, divina ipsa mysteria immaculata celebrant, atque contractant ; quemadmodum supra *pyxis eburnea* dicebantur, qui sordes animi nullas admittunt, sed honestissima vita ac moribus divinis sacramentis immaculatissime ministrant : » sic ille. Aponitis accipit martyres, qui collum pro fide subeunt gladio, et post mortem velut ebur fulsuerunt.

Symbolice, Honorius : « Sextus, inquit, ordo (in choris castrorum Synagoga) est religiosorum, qui per *collum* exprimitur, de quibus subditur : *Collum tuum sicut, etc.*, hoc est, spirituales, qui Sunamitem Christo verbis et exemplis jungunt, ut collum caput et corpus conjungit, sicut *turris turris eburnea*, id est sicut elephas, in virtutibus inexpugnabilis. Solent elephanti turres portare, de quibus pugnant sicut in libro Machabeorum legitur : sic spirituales viri sacram Scripturam quasi firmam turrim portant, ex qua contra hostes regni Dei pugnant. Sed et per ebur castitas illorum intelligitur, sicut illud animal casta esse natura perhibetur. » Huc accedit Alcazar, qui haec omnia tribuit religiosis, praesertim pro Christo et fide certantibus, et in fine mundi certaturis contra Antichristum : hi enim collum erigunt



contra postquam, collum autem symbolum est libertatis christianae: licet enim religiosi collum iugo Christi et obedientiae submittant, tamen submissio haec parit in eis ingentes animos ac libertatem, quae omnia mundana despiciant, nullos tyrannos timeant, sed solum Dei offensam: quare pro Deo libentes collum gladio, si opus sit, subiciunt. Rursus Guilielmus: Caput, inquit, est ratio speculativa, quae aeternorum contemplationi intendit; membra capiti subjecta, sunt appetitus sensuales, qui a ratione reguntur; medium inter caput et membra, ac utraque conjungens est collum, id est, ratio practica quae actioni recte intendit eamque dirigat: haec similis est turri eburnae, ex prisorum patrum exemplis per imitationem extracta: ebur enim os elephantorum est: et hi omnes ut Abraham, Moyses, David, etc., magis quidam, casti, fortesque elephantum fuerunt.

Denique Rupertus, haec adaptans B. Virgini, collum accipit eius humilitatem, quae ipsam sicut instar turris eburnae, fortissimam aequae pulcherrimam: « Quid, inquit, vel quale est collum tuum? utique non extensum, imo ambulator demissum; et haec est humilitas tua, fortitudo magna, fortitudo pulcherrima. Vere sicut turris eburnae, quae et aspectu amabilis et statura sit fortis. Cui fortis? cui amabilis? Deo fortis, Deo amabilis; diabolo autem terribilis et inaccessibilis. Quomodo ipsi Deo fortis? nimirum sicut ex istis comprobatur exemplis: quia si contra Deum fortis fuisset (ait ipse, Gen. xxxii, 28, ad patrem suum fidelem Jacob), quanto magis contra homines praevalebit. » Addit Guilielmus: « Si per eburneam turrim exempla sanctorum illorum, Abraham, Isaac, Jacob, Davidis, et ceterorum significantur, sane Deiparam verissime talem vocari, quae multo sublimius ceteris, ex eboris illo antiquo turrim fortitudinis cunctis hostibus tremendam extruxit: quippe quae antiquorum virtutes in suis moribus non modo perfecte expressit, veram etiam in eisdem virtutibus superexcellenti gratia modum antiquorum longe excessit, vixitque singulis, non tantum in aliis, sed et in precipuis eorum: Abraham in obedientia, Moysen in mansuetudine, David in humilitate, etc. Subtilius Hallgrinus: B. Virgo, inquit, est turris, ad quam in omni periculo conflugunt miseri; eburnae, ob candorem castitatis et firmitatis constantiam, et quia ebur est dens elephantis, cui iuge est bellum cum dracone: sicut B. Virgo vetus ab origine mundi bellum serpenti antiquo ex Dei praedestinatione indixit, Genes. iii, vers. 15. Audi Christum Dominum, collum B. Virginis mystice describentem S. Brigida, lib. V. Recensit., in fine Interrog. 890: « Collum tuum est nobilitas erectum et pulcherrime elevatum, quia iustitia armata tua plene est erecta ad me, et secundum velle meum mobilis, quia nunquam incommata fuit ad aliquid malum superbie: sicut enim collum curvatur in capite, sic omnis intentio

et operatio tua flecebat ad voluntatem meam. »

OCULI TUI Sicut piscinae (S. Ambrosius, *stagna*, scilicet ex aquis scaturientibus et vivis) IN Hesebon, quae sunt in porta filiae multitudinis. — Pagninus, *filiae nobilitatem*: רַבִּינִים *rabbim* enim et multos, et nobiles, principesque significat; Syrus, *ad portam multorum*. Perperam Lyranus et rabbini per Hesebon accipiunt Jerusalem: hanc enim dicit Hesebon, id est *estimationem*, quod urbs esset summae dignitatis et estimationis: « Hesebon, inquit Adrichomius in *Descript. Terra Sanctae*, pag. 127, num. 31, fuit urbs gloriosa et insignis et munita valde, sita in montibus, cincta muris coeli lateris, cui tanquam dominae maximus pagorum numerus serviebat: quae cum fuisset ante Moabitum, ab Amorrhæis belli iuro possessa est, in qua et Seon habitabat rex Amorrhæorum, quomodo populo suo ab Israelitis occiso, urbs haec a filiis Ruben est reaedificata et data Levitis, contra quam prophetaverunt Isaias et Jeremias in visione Moab: « tate S. Hieronymi vocabatur Ebus, distans a Jordane viginti milliaribus. » Addit Adrichomius, num. 32, iuxta portam Hesebon fuisse insignes piscinas, seu stagna et fontes aquarum, ad quos alludit hebraicum רַבִּינִים *etiam*; haec enim vox et *oculos* et *fontes* significat, quod enim sunt oculi in capite, haec sunt fontes in terra. Rursus sicut piscinarum sive stagnorum laus est, ait Delrio, si liquido humore abundant, si pelluceant, si speculorum more reddant imaginem intuentis: in oculis *primae* laudi respondet copiosus humor aqueus, *secundae* vitreus, *tertia* crystallinus; in his tribus tres illas dotes licet reperire: nam et oculi copiose humidi sunt, et visionem transmittunt, et imaginem representant. Sensus ergo est, *q. d.* Oculi tui, o Synagoga, sunt quasi gemini, placidissimi, et purissimi, serenissimi, limpidissimi que fontes.

Rursus sicut piscinae cinguntur arboribus, iisque amone obumbrantur, sic et oculi cinguntur pupillis et capillis, atque inter eos emicant vibrantique iuandum lumen, perinde ac ramos arborum: piscinis imminentes crystallini aquarum liquores interfluent. Adde, humor crystallinus oculi similis est piscinae, quia utriusque origo subtile latenter scaturit, extrema vero superficies quieta, stabilis et serena permanet, adeo ut instar speculi res objectas representet. Hoc verius est in sponsa, cuius oculi modesti sunt, graves, compositi, constantes: nam oculi inconstantes et gyrovagi indicant animum vel pavidum, vel levem, vel vafrum; piscinae ergo sive stagna, in quibus aquae non fluunt, sed consistunt, notant laudantque quietem et serenitatem oculorum: nam stabilitas ista lumen et splendorem adauget, et indicium est internae gravitatis, simplicitatis et constantiae; sicut crebra nictatio palpebrarum, et velox orbium huc illuc motus vel organi mala affecti, vel animi levis, timidi, fallacia nota reputatur: ita Delrio.

Porro haec porta Hesebon vocatur *filiae multitudinis*, id est porta spectans regionem, in qua erat magna hominum multitudo: regiones enim delicate et elegantes ab Hebraeis metaphorice vocantur *filiae*. Regio haec erat vel forum, in foro enim magna est hominum multitudo; vel suburbia, et copia pagorum multorum urbi Hesebon subiectionum, ut paulo ante ex Adrichomio dixi. Porta haec notat cavitates capitis, in quibus quasi in portis siti sunt orbis oculorum; dicunturque *filiae multitudinis*, quia intra cavitates haec capitis multa sunt cellae omnium sensuum, tam interiorum, quam exteriorum: multi item spiritus vitales et animales, qui sensibus singulis subserviunt: multae denique arteriae, venae, musculi, nervi, etc. Rursus oculi ipsi hic tacite comparantur portis, quia instar portarum amplae erant et deore aperti: sic Juno ab Homero vocatur *ὄμμας*, id est *bovinos magnosque oculos habens*. Per symbolum *piscinae* ergo significatur triplex oculorum pulchritudo, ait Luysius: primo, eorum amplitudo, id est justa et decens magnitudo; deinde, serenitas, ex quo exsistit lumen et splendor; postremo, quies tanquam stabilitas, quae cum ipsa in oculis gravitatis est et decoris plena, tam certe constantis animi acque simplicis est indicium: nam quorum crebro palpebrae atque oculi magna celeritate moventur, aut timidi sunt, aut omnino vafrī atque fallaces.

## PRIMUM SENSU

## ADEQUATUS.

## De Christo et Ecclesia.

Oculi Synagoga conversae ad Christum sunt ejus sapientia et prudentia, sive sincera fides et cognitio, purusque et clarus intellectus tam speculativus, quam practicus; item sanctae cogitationes, aiant Theodoretus et S. Ambrosius in *Psalm. cxviii*, serm. 16, ac pura intentio soli Deo placendi; hinc Hesebon hebraice idem est quod *capitulum*, ut vertit Aquila, vel, ut Pagninus, idem est quod *festinatio intelligendi*, a חַס חַס, id est *festinavit*, et חַס חַס, id est *intellexit*, vide dicta cap. iv, vers. 4, et cap. i, vers. 15: sicut enim ibi oculus Ecclesiae comparavit columbis, sic hic oculus Synagoga comparat piscinis; unde R. Salomon asserit Hebraeos et thaludicos כַּרְבֵּי *bechoth*, quod Noster vertit, *piscinas*, usurpare pro oculis. Rursus oculi Synagoga in fine mundi erant episcopi, prophetae et rabbini sive doctores, ait Cassiodorus, iustus et Anselmus, qui *filiam multitudinis*, id est congregationem populi iudaici, Christi fidei et viam docebant, regent et dirigent in viam salutis: sapientia enim instar fontis et oculi respuldet in doctore, ipsa enim « candor est lucis aeternae, et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius, » *Sapient. vi*, 26. Hinc Honorius per oculos accipit in choris castrorum Synagoga septimum ordi-

nem, sive aciem, quae, inquit, est pralatorum. Huc facit versio Chaldaei: « Scribae (doctores) tui pleni sunt sapientia sicut piscinae aquarum, et sciunt constituere rationes embolismorum, et annos intercalant, et signant principia annorum et mensium in porta domus Concilii magni. » Hinc Cosmas Damianus *per oculos* accipit episcopos, eorumque perspicaciam ad contemplanda divina, ac providentiam ad gubernandum oves sibi creditas: hi enim gemini mentis oculi sunt quasi geminae piscinae quae iuxta portam Hesebonis urbis olim populosissima, quasi in facie ejus sitae, ingentem subterraneanam aquarum vim, ex montibus Galaad perpetuo manantem, continentes, innumerate multitudinē magno erant usui, et admirandas praestabant utilitates.

Porro in חַס *filiae multitudinis*, pro quo hebraice est רַבִּינִים *bath rabbim*, id est *filia*, hoc est *urbs multorum incolarum*, videtur aliud latere mysterium et oraculum conversionis Arabum: nam *bath rabbim*, sive *Rabba*, erat urbs magna, potens et populosa, ideoque metropolis Ammonitarum, quam primo expugnavit Oz rex Buzan, deinde David per Joab ducem, II Reg. xi, 12; denique Ptolomaeus Philadelphus, post Alexandrum secundus Aegypti rex, a quo *Philadelphiam* est nuncupata, eratque vicina urbi Hesebon; unde Jeremias in clade Chaldaeorum utramque conjungit dicens, cap. xlix, 3: « Ulula, Hesebon, quoniam vastata est Hai: chmale, filiae Rabba, accingite vos cilicis: plangite et circuite per sepes: quoniam Melchom in transmigrationem ducetur, sacerdotes ejus et principes ejus similes. » Sensus ergo est, quasi dicat: Oculi tui, o Synagoga, similes sunt piscinis sitis ad portam Hesebon, quae respicit Philadelphiam, sive per quam iter Philadelphiam, ita Delrio et Valabius: sic Romae porta una vocatur *Tyburina*, qua iter Tybur; alia *Tusculana*, qua iter Tusculum; alia *Praenestina*, qua iter Praeneste, etc. Indicat ergo Salomon oculos, id est episcopos Jerusalem et Judaeae in fine mundi respectuos ad vicinam Arabiam Felicem, cuius primaria urbs est Philadelpia, ut eam ad Christum convertant, sicut olim eandem converterunt; unde Ecclesia Philadelphensis olim suberat patriarchae Hierosolymitano. Idem fiet in fine mundi, cum Elias et Judaeae episcopi ibunt, vel mittent predicatorum in Arabiam ceterasque vicinas regiones, ut eas a Mahomete (Mahomet enim fuit Arabs, et dux Arabum) et ab Antichristo ad Christum traducant. Hoc videtur innuere hic Spiritus Sanctus per חַס *bath rabbim*, sive *Rabba*, id est Philadelpia, quae perinde ut piscinae Hesebon dicta est *urbs aquarum*, II Reg. xi et seq., eo quod torrens Jacob eam circumfluat, ait Adrichomius. Arabiae Felicis ergo praesulis meminit hic Salomon, tum quia ipsa confirmata est Judaeae, tum quia turris, quod Deo adoletur, myrrhae, aloes, casiae, amomi, cinnamomi, nardi, cardamomi, piperis, ac omnis generis aromatum